

ANTONII DEUSINGII

Med. ac Philos.

FASCICULUS
DISSERTATIONUM
SELECTARUM,

Ab Autore

Collectarum ac Recognitarum:
Cum Auctario.

*Quarum Indicem adjecta Pagina
exhibet.*



GRONINGÆ,

Typis **JOHANNIS COLLENI**, Bi-
bliopolæ & Typographi, 1660.


ANTONII DEUSINGII
Med. & Phil.
DISSERTATIONES
D E
UNICORNU,
E T
L A P I D E
B E Z A A R.

*Publicæ Ventilationis subiectæ in Acad.
Groningæ & Omlandia.*

*Hæ Dissertationes perfrms editæ
Amst. Fræningæ 1659. 12mo.*

Respondentes.

**THEODORUS WINANDI,
ALEXANDER MEYER,
Amstel. Batavi.**



LECTORI CANDIDO

s.

ANTONIUS DEUSINGIUS.



EN, Candide Lector, Asylum re-
præsentato Imperito-
rum, Medicastrorum,
destructum, eversum. Ad quod confugiant,
cùm lethales errores moliuntur
contegere, qui sine Arte, sine
Scientia Medica, cum illo apud
Plautum in Rudente, unâ literâ
plus sunt quàm Medici. Mendi-
cos dixerim, an Merdicos, ne-
scio : si quidem illorum titulo
indi-

indigitandi Medicaſtri modum
 excedentes, horum deficientes
 in agendo, ex *Carrar. de Medicis*
part. 1. num. 13. citante. Zacchià
Quæſt. Med. Leg. lib. 6. t. 3. q. 2. §. 27.
 Ut adeò titulo utrovis digni ha-
 beantur, qui agenda non agunt,
 dum agunt noxia. Nec verò mi-
 nùs peccatur *omittendo*, quàm *com-*
mittendo, ex *Leg. Qui non facit, quod*
facere debet, ff. de Reg. Iur. Præ-
 fertim in Arte Medica; ubi
 omiſſa neceſſaria, fiunt com-
 miſſa mortifera: dum velut in
 bello, hîc præceps occaſio, ut
 nequeant omiſſa reſarciri, nec
 qui conſequitur poſitivus even-
 tus omiſſorum impediri. *Verò*
in fraudem alterius (in fraudem
Ægrorum,) quis facit, qui id non
facit quod in ejus utilitatem facere
debet

debet, (quod facere suscipit, vel
 cuius faciendi rationem se intel-
 ligere falsò præsumit,) *atque ita*
non facere est facere, ex Gothofr.
 ad dictam Legem. Quod si au-
 tem *occidisse vulgò dicitur*, qui cau-
 sam mortis quolibet modo præbuit, per
 Leg. § 1. ff. ad Leg. Aquil. utique
 meritò *occidisse dicitur*, qui non
 modò necessaria omisit, ; sed
 & noxia præbuit, ac delete-
 ria: quin &, qui pro utilibus,
 oportunis, ac necessariis, ex-
 hibuit, inepta, inutilia, nec
 morbo, nec causæ, nec cir-
 cumstantiis congrua. Verunta-
 men mitiùs de Medicastis sta-
 tuimus; Nec *Homicidas illico cen-*
sandos urgemus, quòd *occidisse*,
vel causam mortis præbuisse sint di-
 cendi; cùm & alio sensu *multum*
interfit,

interfit, occiderit (idest *Homicida* vel *Latro* quis habendus sit,) an *mortis causam præstiterit*, ex *L. 7. §. 6. ff. ad Leg. Aquil.* Solam suam *imperitiam* considerent, et præsertim certe ipsa *culpa* annumeranda, per *Leg. 132. ff. de R. I.*) quâ nec morbos, nec morborum causas, nec medicamentorum vires, nec temporum opportunitates, nec circumstantiarum, aliarum, rationes, norunt discernere; & temeritatem, quâ audacter aggrediuntur, cum dispendio ægrorum, ea quæ non capiunt, quâ culpam sibi conflant, immiscen- tes sese rebus ad se non spectan- tibus, per *Leg. Culpa est, ff. de Reg. Iur.* Sed metuo ut ita leniter de Medicâstris sentiant, qui Ju- ris sunt periti, ac præsertim ii, quo-

quorum Nobili Officio est de-
mandata salus publica: His ma-
gna culpa dolus est, ff. de verb. signif.
At culpa, ea maxima quæ vitam
atque incolumitatem hominum
concernit, quâ nullus thesau-
rus pretiosior, juxta Psalm 49.
v. 8. & seq. Quin, & si prodito-
riè sit agere, aliud actibus osten-
dere, & aliud in mente gerere,
ex Bartol. in Leg. Respicien. §. De-
linquunt. ff. de Pœnis; utique cen-
sebuntur ii omnino agere pro-
ditoriè, qui Medicinam, facti-
tant, at planè sibi conscii sunt
interea, se nec Scientiæ nec Artis
Medicæ principia tenere. No-
tissimè in suffragia vocari Juris pe-
ritissimum Virum, P. Zacchiam
Romanum, qui Quæst. Med. Lega-
lium lib. 6. tit. 1. quæst. 1. §. 24. de
univer-

universo Medicastroorum genere, quod ultra suam capacitatem quid operatur, multaque audacter ultra id quod novit circa infirmos machinari tentat, ita censet: Licet hi, inquit, per audaciam delinquere soleant, quæ ex ignorantia consequitur, dolo tamen pescare ut plurimum solent; maxime cum quid machinantes, quod ipsi ignorant, & tamen ut aliquid lucri faciant, & pecunias à credulis extorqueant, vel ut nomen sibi apud eos acquirant, promittentes quod præstare non possunt, ab operando non desistunt; videntur tanquam dolosi puniendi. Similiter ibid. quæst. 3. §. 19. 20. ignorantiam talium quia semper comitem habet audaciam, nullâ excusatione dignam videri: sed prætergressionem eorundem, malitiosam præsumi posse. Ac de Empiricis speciatim

ciatim loquens ibidem quæst. I I.

§. 4. de ipsis plurâ non addam, inquit;
*Omnia enim mihi dixisse videor, cum
toties error eos firma verim, quoties
manum ad medendum admovent;
ceterumque esse debet, quod si quid
damni tales homines ex suis medica-
mentis cæteris inferant, de damno
tenentur, & si quem Medicamentis
suis occiderint, tenentur etiam de ho-
micidio. Quid contra hæc Ora-
cula Virorum, Juris-Confulto-
rum præsidii inveniant, viderint
ipsimet illi Pseudo-Medici no-
stri, postquam Asylum ipsorum,
quod sub Delubro laudati *Vni-
cornu*, atque ad Altare famifis-
simi *Lapidis Bezoardici*, habebant
confictum, hîc destructum inve-
nerint, penitusque eversum.
Sed frustra me esse ais, Candide
Lector,*

Lector, nec me hisce inveterato malo posse modelam afferre: Interea verò pessimorum hominum me experiri maledicta. Ex parte rem tangis; at maxima ex parte interim falleris. Audi Senecam, quæso, de Tranquillit. Animi cap. 3. *Præcis quoque manibus ille in prælio invenit, quod partibus conferat, qui stat tantum & clamore jurevat. Tale quiddam facies, si à prima te Reip. parte fortuna submoverit; stes tamen, clamore jures: si quis fauces suppresserit; stes tamen, & silentio jures. Nunquam inutilis est opera Civis boni, auditu enim, visu, vultu, nutu, obstinatione tacitâ, incessuque ipso prodest. Ut salutaria quædam, citra gestum tantumque, odore proficiunt: ita virtus utilitatem etiam ex longinquo & latens fundit: si ve exspaciatur & fruitur suo jure;*

jure; siue precarios habet accessus, cogiturque vela contrahere; siue otiosa mutaque est, & angusto circumscripta, siue adaperat: in quocunque habitu est, prodest. &c. Ac ne putes me posse injuriâ affici à vilissimis mortaliū, audi Philosophum eundem de Constant. Sapient. cap. 7. posse evenire, ut faciat aliquis injuriam mihi, & ego non accipiam: tanquam si quis rem, quam è villa mea surripuit, in domo mea ponat: ille furtum fecerit, ego nihil perdiderim. Potest aliquis nocens fieri, quamvis non nocuerit. Si quis cum uxore sua tanquam aliena concumbat, adulter erit, quamvis illa adultera non sit. Aliquis mihi venenum dedit, sed vim suam remixtum cibo perdidit: venenum illud dando, scelere se obligavit, etiamsi non nocuit. Non minus Latro est, cujus

L telum

telum oppositâ veste elusum est. Sanè didici dudum, ex eodem Seneca cit. l. c. 19. & honores & injurias vulgi in promissa habendos esse: nec his dolendum, nec illis gaudendum. Alioquin multa, inquit, timore contumiliarum aut tedio, necessaria omittimus: & publicis privatisque officis, aliquando etiam salutibus, non obsequemur, dum muliebri nos cura angit, aliquid contra animum audienti. Libera est animus supponere injurias, & cum facere se, ex quo solo gaudenda videntur. Sed mitto hæc insipida, propediem, Deo favente, sapientiora daturus, de Manus & Sactura. Vale, Candide Lector, ac studio meliori fave. Dabam Groninga, V. Cal. Feb. 1702. L. A.

DISSER.



DISSERTATIO. DE UNICORNU.



Maximis encomiis in
Medicina dudum ce-
lebratur *Unicornu*, seu
praesentaneum contra
Venena Antidotum :
Cum interim cujusnam animalis cor-
nu id sit, etiamnum sit controversum.
Quin imò, an sit verè Animalis alicu-
jus cornu, quod passim pro *Unicornu*
venit, fortè dubium : Quin &, an do-
tur in Rerum Natura *Monoceros*, ani-
mal nempe ἀπὸ τοῦ μόνου κέρατος, ab uno
ac solo cornu, propriè *Unicornis* & *Uni-*
cornu dictum, cujus cornu singulari
virtute praeditum creditur, antiqua

Medicorum ac Physicorum quaestio est; nondum haecenus sufficienter decisa. De qua re multa videre est apud Aldrovandum, Baccium, Bartholinum, (Patrem & Filium) Jonstonum, aliosque: quæ impræsentiarum huc transferre non patitur instituti nostri ratio.

2. Constat equidem ex S. Scriptura, dari animal quoddam cornutum, terrestre, robustissimum præ reliquis terrestribus animantibus, quod vocabulo Hebræo קֶרֶן & קֶרֶן *Rēm* appellatur; quodnam verò illud sit, & quâ virtute physicâ cornu ejus valeat, non itidem ex Sacris definiri potest.

3. Verissimum namque est quod dicit Vir Celeberrimus Joh. Cloppenburgius Loci de Creat. disp. 5. th. 10. *Animantium seu v. seu v i. die creatorum, nomenclatura Hebraïca, in variis illorum generibus, sicut etiam Herbarum, Arborum, & Gemmarum, hodiè quidem admodum*

dum incerta est populis occidentalibus; neque omnia Avium & Piscium, neque Herbarum, Arborum, & Gemmarum genera suis Hebraïcis nominibus ita innotuerunt, ut vernaculis nominibus Hebraïca semper rectè sine errore exprimantur.

4. Hinc prædictum vocabulum **אֶבְרָת** vel **אֶרְת** à LXX. Interpretibus passim vertitur *μονόκερος Unicornis*, ut Num. 23. v. 22. & 24. v. 8. Deut. 33. v. 17. Job. 39. v. 9 Ps. 22. v. 22. & 29. v. 6. itemque 92. v. 11. Locum Esaïa 34. v. 7. Explicarunt (*אֶבְרָת*) non verterunt: Vulgatus autem Latinus in Mose & Jobo transtulit *Rhinocerotem*; in Psalmis autem & Esaïa *Unicornem*: Belgicæ versionis novissimæ Rever. D. D. Interpretes constanter vertunt *Eenboorn*.

5. Fortasse autem, velut in aliis multis, ita & circa prædictum animal nonnihil lucis affundent aliarum Linguarum Orientalium Lexicographi, ac Sacrarum Literarum versio-

nes : In subsidium itaque hîc vocabimus Pentuechi versionem Persicam, quam olim inter studia Academica (cum Leidæ hospitio ac plurimo favore frueremur incomparabilis Viri, D. JAC. GOLII, Matheseos & Arabicæ Linguae Professoris, nunquam sine honoris Præfatione nobis nominandi,) ex Constantinopolitano exemplari, à Judæis edito Characteribus Hebræis, Anno 1551. (ubi eum Commentar. Salomonis Jarchi, & versione Caldaicâ Onkeli, Arabicâ R. Saadiæ, Persica prædicta R. J. Tawusi conjuncta est) caractere Persico consignavimus, adhibitâ accuratâ punctatione, seu vocalium notatione secundum Lexicographos Persas, quæ istic per Hebræorum punctationem haud parùm obscura atque confusa est : De qua versione Persica Encomium profert Vir Reverend. ac Celeb. Ludov. de Dieu p. m. (nostri dum viveret amantissimus,) in fine Gram-

Grammaticæ suæ Persicæ, editæ Anno 1639. ubi & de variis difficultatibus, quæ Persico Idiomati ritè per characteres Hebræos exprimendo, in exemplari prædicto officiant, Commonefactione ad Lectorem utitur; additis insuper duobus primis capitibus Gen. Persico caractere è nostro Exemplari depromptis.

6. In ista ergo versione redditur nomen Hebræum **קַרְקַר** seu **קֶרֶקֶר** voce Persicâ **קרک** Kerck: quæ accuratissimo Lexicographo Persæ, Paraphrasi Turcicâ exponitur, *magnum animal quod in India reperitur, magnum juxta frontem cornu gerens, ac tanti roboris, ut cornu suo Elephantem attollat, ac donec illi diffluet pinguedo, sustineat:* Ad quam sanè hujus animalis fortitudinem insignem respicit passim S. Scriptura.

7. Illa autem Elephantis sublatio, ac in sublimi detentio fieri vix posse videtur super uno cornu erecto, pro-

cero, tenuiore, quale Monoceroti
 vulgo decantato tribuitur; ut adeò
 vero simile sit, *Rhinocerotem*, quam
 vulgatus Latinus Interpres in Mose &
 Jobo transtulit, intelligendum: Ha-
 bet enim *Rhinoceros* præter unum illud
 cornu infra frontem, narem versùs,
 quo Elephanti ventrem petit ac per-
 fodit, (ut mox dicemus,) alterum
 quoddam minus, ex quo solent con-
 cinnari calices, magis à fronte ad cer-
 vicem vergens; ut adeò super duobus
 istis cornibus commodiùs pondera su-
 stinere ac fulcire queat. Huc spectat
 illud Martialis lib. de Spect. Epig. 22.
 de *Rhinocerote*, qui à Diocletiano in
 arenam productus fuit contra Tau-
 rum & Ursum:

*Namque gravem gemino cornu sic ex-
 tulit Ursum,*

*Iactat ut impositas Taurus in astra
 pilas.*

Atque ita sanè Deut. 33. v. 17. cornua
 ipsi  tribuuntur. Quem equi-
 dem

dem locum Hieronymus ad *Rhinocerotem* spectare existimat, approbrante Baccio lib. 2. de Unicornu, quia *Unicornis Cornu numero plurium non veniat.*

8. Duorum ejusmodi Cornuum Rhinocerotis meminit Scaliger Exercit. 205. *Rhinocerotis ejus picturam vidimus, inquit, cujus cadaver in naufragio ejectum est in Fyrrbenum litus: Capite suillo, tergore munitus scutulato; Cornu gemino, altero in fronte, (aliis ad vertebrarum initium,) altero in nare robustissimo, quo audacissime pugnat ac vincit Elephantum.*

9. Maxima certè antipathia naturalis inter hoc animal & Elephantum intercedit, (de qua vid. Franz. in histor. animal. sacra,) quam respexit in Glossario suo Persa Lexicographus: ut adeò certum sit voce *Perficâ Kerck* denotari non *Unicornem* propriè ac peculiariter ita dictum, sed *Rhinocerotem*. Pugnare utique solet hoc animal cum Elephante ita acriter, re-

L 5 feren-

ferentibus Physiologis, ut in congressu perpetuæ simultati aut partâ victoriâ, aut saltem decorâ morte, satisfaciat. In pugna autem unicè dat operam, ut alvum Elephanti, tanquam partem molliorem, petat osseo cornu super nares prominente, eoque hostem transfodiat; dummodò injectæ ad collum & ocyssimè strangulantis Proboscidis vim effugiat.

10. Hæc naturalis harum belluarum Antipatheia apparuit, cum Emanuel Rex Lusitaniæ Rhinocerotem Romam mittere instituisset, qui in naufragio cùm esset compeditus, & ad miraculum usque evadere conatus fuisset, in scopulis Ligusticis periit. Perunt enim hunc Rhinocerotem (ut narrat Jovius libr. 1. cap. 25.) quum ab Oceano Ulixponensi in portu exponeretur, aspectu atque odore suo Elephantem, qui tum erat in Regia, usque ad eò truculentur terruisse, ut Elephas ipso Naturæ miraculo præcipuus

puus hostis, concepto incredibili pavore, septum cavæ ferreis ingentibus clathris præmunitum, humerorum & capitis præcipiti impulsu per-ruperit, proripiens fugam, terribili-que barritu edito, stridens & furens cuncta obvia prostraverit.

II. Equidem *mite* animal Rhinoceros est, teste Amato Lusitano, comment. in Diosc. libr. 1. Enarr. 52. & *innoxium* est, nisi *laccessitum*, referente Jac. Bontio in Med. Ind. Animad. ad cap. 14. Garcizæ ab Horto; Verèque, ut Martialis ait;

Seque diu magna colligit ira fera:

Attamen si irritatum fuerit, & *robustissimum* & *ferocissimum* simul sese ostendit: De insigni robore Rhinocerotis ac *ferocia*, cum irritatur, elegantem historiam refert Jac. Bontius, (qui non modò centies eum cavæ inclusum vidit, sed & in sylvis vagantem) in sua Med. Indorum, Not. ad cit. loc. Si irritetur, inquit, hominem simul

L. 6. ac equum

ac equum tanquam pulicem proster-
nit: Quin & impetu suo, furore cor-
repta bestia, ingentes arbores horri-
biliter tremere facit. Quæ apprimè
congruunt iis, quæ in Sacris animali
Râm appellato, in Glossario Persico
vā Kerck, attribuuntur: Ut adeò *Rhi-
nocerotem* in sacris indigitari, ubi sæ-
piùs *Monoceros* vertitur, nobis veri-
simile videatur.

12. Arabicus textus Pentateuchi,
Editionis Herpenianæ, nihil nobis
suggerit; servat enim vocabulum He-
bræum רִמ *Rîm* (seu *Rêm*;) Versio
autem Arabicæ R. Saadiæ, superius
memorata, in præsentia ad manus
non est. Psal. 22. v. 22. habet Arabs,
à cornu elato super humilitatem meam, pro
eo quod aliàs vertitur ex Hebræo
à Cornibus Unicornium audivisti me. At
Psal. 92. v. 11. habet Arabs וַחֲדִיךְ
וַחֲדִיךְ *Wahido-lkarni*, quod verbo-
tenus *Vni-cornem* notat; sed verti-
tur tamen à Maronitis in Latino,
(Edit.

(Edit. Arab. Lat. Savarianæ) Rhinoceros.

13. Quidquid fit, apparet saltem ex dictis, verissimum esse quod dicit C. D. Cloppenburgius cit. Loc. th. 12. *Problema, quod Medici & Physici hodie disquirunt, An Unicornis, sic dictus ῥινοκέρως, sit in rerum natura, ex nomine Hebraeo determinari non posse: Quin neque determinari id posse, etiamsi constanter omnes Interpretes Unicornem transferrent: postquam notavit Dalechampius ad Plinium libr. 8. 21. & 11. 27. esse septem animalium genera, extra hanc controversiam sex, qua uno cornu munita sint.*

14. Hoc duntaxat monebo, Rhinocerotem ipsum quoque inter animalia unicornia à variis relatum esse. Plinius utique N. H. libr. 7. cap. 20. *Unum ei in nare cornu, inquit. Similiter Tertullian. lib. 1. contra Praxeam, unum duntaxat cornu illi assignat.*

15. Interim esse *Monocerota*, (propriè sic appellatum,) à *Rhinocerate bel-*

L 7

luam

luam longè diversissimam, non dubitat Scaliger Exerc. 205. ac Vartomano Viro optimo, qui sese duos Monoceros vidisse scribit, habendam esse fidem ait: Ex illo autem describitur Monoceros, *ἑξ ὅρου* sic dictus, à Scaligero, Equi magnitudinem habere crura, pedes, caput Cervi; pilos colore ballo; equi jubam, rariorem, breviorē; coxas villosas: Plin. libr. 8. cap. 21. *Assperrimam feram Monocerotem depingit, reliquo corpore Equo similem, capite Cervo, pedibus Elephanto, cauda Apro, mugitu gravi, uno cornu nigro mediâ fronte, cubitorum duum eminente, hanc feram vivam negant capi, inquit. Ab aliis depingitur pedibus Elephanti, barbâ hircinâ, caudâ suis, unum cornu nigrum habens mediâ fronte, reliquo corpore valde simile equo, vid. Franz. Histor. Anim. sacr. part. 1. cap. 11. Card. de Subtil. libr. 10.*

16. Qui fabulosum esse credunt ac fictitium, quicquid de *Unicornibus*, peculiariter ita dictis, narratur, nullum

Ium omnino dari tale animal in rerum natura existimantes; ii Vartomanum in alterius alicujus animalis descriptione, quod perperam pro *Monocerotē* propriè dicto habuerit, deceptum autumant: Non negant quidem *Cornua* illa, quæ passim monstrantur; at eadem non à tali aliquo animali, quod vulgò fingi solet, sed à Piscibus quibusdam esse contendunt: (de qua re inferiùs videbimus:) Quin &, nonnulla ex ossibus arte facta censent, eo argumento, quòd striata ac intorta in gyrum reperiantur: (ossa namque decocta inflecti ac in strias torqueri posse certum est,) Non absimilem sententiam Medici cujusdam Regis Navarræ, refert Ambr. Paræus, Chirurg. libr. 12. cap. 13. Qui ipse de *Monocerotē* multis agit libr. 21. cap. 47. & seqq. usque ad finem libri.

17. Scaliger loco superiùs à nobis citato, *Quidam Recentiores*, inquit, *qui alienis operis suis interpolant merces*,
Orygem

Orygem ac Monocerotem eundem esse arbitrantur. Credo, inquit, quod legerint ὄρυξ μονόκερτα. Ceterum hoc ejus epitheton est: At huic nostro, quod agimus, nomen proprium. Equidem Oryx quoque monoceros seu unicornis animal est, de quo Arist. libr. 3. de part. anim. cap. 2. Sunt etiam, inquit, qui cornu singulare habent (μονόκερτα vocat,) ut Oryx, & quem Asinum Indicum appellari diximus. Manifestè hæc duo animalia discernit Aristoteles: Oryx bisulcum, inquit, asinus ille solipes est.

18. Cardanus de subtilitate lib. 10. (mihi p. 562.) de Monocerote agens, quem describit equi magnitudine, pilo mustelæ simillimo, capite cervino, in quo cornu crescat unicum; cubitorum trium magnitudine, mediâ in fronte, ac rectum, in imo amplum, tendens in aciem; collo brevi, jubâ rarissimâ, & in alteram tantum partem tendente; cruribus velut capreolæ tenuibus, posteriorum exteriore

riore parte multo pilo villosis, ungulis bifidis: subjungit tandem, existimo hoc esse animal quod ab Aristotele Oryx appellatur. Certè descriptio hæc cum prædicta Vartomani, à Scaligero recitata, non malè congruit; ut miter à Scaligero citato loco rideri Cardanum, quasi *Monocerota* sub *Rhinocerotis* nomine pinxisset; cùm longè diversissimo schemate pingat ibidem *Rhinocerota* Cardanus.

19. Paulus Jovius libr. 8. Hist. sui temp. *Unicornem* pullo equino comparat, colore cineritio: caput pilorum congerie contextum ait, barbam hircinæ assimulari, frontem armatam habere cornu duorum cubitorum. Alii ipsum *Asinum Indicum* pro *Monocerote*, ita peculiater dicto, habent.

20. Thebét de la France Antractique, cap. 22. Juxta caput bonæ spei reperiri magnam quantitatem *Asinorum sylvestrium* ait, & aliam quandam speciem, quæ gestet unum cornu inter oculos,

oculos, duos pedes longum: Idem Alexandriæ ferale cornu vidisse refert, à Turca quodam Meccâ asportatum, quod virtutem contra venenum habere asseribat. Aristotelem hanc speciem Asinorum cornigerorum appellare *Asinos Indicos*, idem testatur.

21. Equidem notat Bellonius Ob-
serv. libr. 1. cap. 14. *Asinos feros*, qui Latinis *Onagri* dicuntur, cornu care-
re: necessario itaque sequitur, in-
quit, *Monocera* alicujus alterius esse
animalis. Ut adeò errent omnino,
qui existimant, ea quæ in Scripturis
S. de *Unicornu* dicuntur, posse *Onagro*,
accommodari: nisi fortè per *Onagram*
alteram illam *Asinorum speciem* intel-
ligant, quam ab *Asinis sylvestribus*
Thebet distinguit: cujus figuram ex-
primit Jonston. H. N. de Quadrup.
Tab. 12.

22. Non malè hîc accommodari
potest id quod habet Garcias ab Hor-
to cap. 14. *De Monocero*, inquit, tam
incerta

incerta ab Autoribus referuntur, ut illud

haudquaquam vidisse manifestè appareat. Ego hoc loco referam, inquit, quæ à Viris fide dignis accepi. Inter Promontorium bonæ spei, & aliud promontorium, vulgò de Currentes nuncupatum, vidisse se affirmant terrestre quoddam animalis genus, licet mari etiam delectaretur, quod caput & jubam equi haberet, (minimè tamen marinum equum esse,) cornu præditum duos palmos oblongo, mobili, quodque nunc in dextram, nunc in sinistram obverteret, modò attolleret, modò demitteret. Id animal cum Elephante ferociter præliari, ejusque cornu adversus venena laudari. Ejus experimentum, inquit, factum propinato canibus veneno: alterum enim canem, cui duplâ quantitate propinatum esse venenum, sumpto hujus cornu pulvere ex aqua, convalescere; alium verd, cui exiguâ quantitate venenum esset datum, nec exhibitum hoc cornu, statim mortuum corruisse.

23. Similiter ferè Philostratus de vita Apollon. Thyanaï, lib. 3. cap. 1.

Asinos

Asinos sylvestres in paludibus vicinis Hyphasidi fluvio Indico, multos capi: Esse autem ejusmodi feris in fronte cornu, quo taurorum more generosissimè pugnant. Conficere autem Indos ex illis cornibus pocula, ac asserere, nullis morbis illo die affici, qui ejusmodi poculo potaverint, neque ullis venenis lædi. Idcirco Regum esse eadem pocula, & Regi tantum ejusmodi feræ venationem permitti. Sed faceret addit: Apollonium ferum aspexisse, ejusque naturam cum admiratione considerasse, interroganti autem Damidi socio suo, an sermoni, qui de poculo jam dicto ferebatur, fidem adhiberet, respondisse, adhibeo, si hujus regionis immortalem esse Regem intellexero.

24. Nempe, in immensum sæpe extolluntur nonnulla, quæ fortè non omni planè laude sunt indigna: Velut ea, quæ fortasse pro auxilio esse possunt qualicunque, ab impostoribus quan-

quandoque , ac temerariis Medica-
stris , pro Panacea venditantur , ac
omnibus morbis promiscuè , nullâ ha-
bitâ causarum ratione , nullâ morbi
temporum , neglectis remediis melio-
ribus ac planè necessariis , neglectâ
omni methodo , cum strenuis at fallaci-
bus pollicitationibus , adhibentur.
Coeterum prædictos *Africos Indicos* Sca-
liger in Comment. ad Aristot. libr. 2.
Histor. Anim. pro *Monocerotibus* habendi-
dos censet.

25. Cornelius à Nieulande , Præ-
fectus S. Pauli de Loanda , literis ex
Angola datis Anno 1643. narrabat in
penitioribus illius Regionis *Unicornem*
reperiri , licet rariùs , quem *Nigri*
Bembe , & *Poccabembe* appellant : se-
que integrum ejus cornu habere refe-
rebat ; sed alterius Ideæ , quàm quæ
in Europa pro Unicornium cornibus
venditantur : (fortasse nigrum quo-
que , ac non striatum & quasi contor-
tum :) Interim experimentum facul-
tati

tatis ex ipso cornu nondum fecisse: & Nigros asseverare constanter, valere contra genus omne veneni. Certè, quod dicit Amatus Lusitanus Com. in Dioscor. lib. 1. Enarrat. 52. id etiamnum verè dici potest. *Quale animal Unicornis sit, præter ea quæ ex Plinio accepimus, inquit, nihil quicquam certi habemus: Nec Lusitani nostri, inquit, qui interiora Indiæ penetrarunt, de animali hoc aliquid nobis referre norunt: Fatentur tamen apud India Reges Cornu Unicornis, sive Monocerotis, in maximo esse pretio; imò Medici Lusitani nostri, qui diu apud Indos Artem medicam exeruerunt, & ad nos reversi sunt, dicere solent, nullum apud Indos validius aut potentius Antidorum contra venenum & febres pestilentiales reperiri hoc cornu Unicornis.*

26. In litore Greenlandiæ Cornus non rarò à Nautis nostris reperitur, quæ omnia recta quidem, at canaliculis striata sunt, & cochleæ instar tenuibus immixtis spirilibus circum-

cumducta, ductibus ipsis, seu stris ab imo ad summum spirali circuitu se inflectentibus. Quæ verisimile dudum visum est, *Piscis* alicujus cornu esse. Atlas Mercatoris, in Islandiæ descriptione, notat circa Islandiam *Piscem* esse, *Narhual* dictum, cujus carnem si quis comedat, eum statim mori & habere autem *dentem* in anteriori capitis parte prominentem ad septem cubitos, quem nonnulli pro *Monoceros Cornu* vendiderunt. Credi etiam adversari venenis.

27. Bellonius Observat. libr. I. cap. 14. ait, id quod vulgò pro Cornu *Monoceros* venditari solet, esse *dentem Piscis*, Gallis *Robart*, Septentrionalis maris accolis *Mors* appellati. Idem duo cornua ostendi refert in D. Marci Thesoro apud Venetos, sesquicubitalis utraque longitudinis, crassiora inferius quam superne, crassiore tamen parte tres pollices conjunctos non excedente: quæ notæ, inquit, satis respon-

spondent iis, quas Veteres *Asini Indici* cornu tribuunt; attamen reliquas notas testatur non convenire.

28. Scimus etiam, inquit idem Bellonius, ea quae *Anglia Rex* habet, stridita, & in gyrum canaliculata esse; quemadmodum & illud, quod apud *Dionysii Phani* est, quod omnium maximum existimamus, inter ea quae hactenus conspecta fuerunt. Majus praconium meretur quam aliud quodvis cornu, quod in animali procreatum vidimus. Naturale enim est, haud artificiale; in quo omnes nota, quae alterius animalis cornu conveniunt: Et quoniam concavum est, existimandum est non esse deciduum, contra quam *Cervi* & *Elanuli*, quibus decidunt. Nullus est procerus quantumvis statura, qui ad illius summmitatem perungere queat: septem enim magnos pedes longum est. Decem & tres duncaxae libras & uncias quatuor pendet; si quis tamen sublevet, plus quam decem & octo libras pendere existimabit. Ista figura recta est, instar cerei, inferiori parte crassa; deinde

deinde paulatim usque ad mucronem gracilescens : Ejus etiam crassitudinem manus complecti nequit, cum quinque digitos in diametro habeat ; atque si quis funiculo circumferentiam metiatur, palmum & tres digitos inveniet. Inequale nonnihil est eâ parte, quæ capiti inhaesit, totâ denique reliquâ levi & politâ : Tenuibus canaliculis striata est cochleæ in morem, ab infima parte ad extremum mucronem, à dextra ad sinistram omnibus striis in gyrum vergentibus, quemadmodum in limacum testis, aut fuste quem periclimenum ambierit. Ejus color non omnino albus est : Nam temporis injuriâ fuscum nonnihil redditum. Integro pede cavum est, aut eo magis, infimè, quâ ossi, quod capiti firmiter adhaesit, insertum fuit. Hinc judicare licet, minimè deciduum esse. Cùm porro tantum onus animalis capiti incumbat, animal quod illud gestat ingentis corporis, nec leve minus esse, conjiciendum. Hæc Bellonius. Quæ eadem reperiuntur apud Aldrovandum de Quadrup. libr. I. cap. 6.

29. Illi verò descriptioni per omnia
 ferè congruit quoad figuram ac con-
 formationem, illud quod An. 1645.
 Amsterodami hustravi, recens per Nau-
 tas nostros ex Groenlandia allatum,
 ac in litore Spitsbergiæ repertum:
 quod ab Assessoribus Societatis Mer-
 caturæ ac Navigationis Groenlandi-
 cæ curiosè asservatur. Ossi capitis id
 hærebat infixum, non adhærente am-
 pliùs mandibulâ inferiore: ut adeò
 manifestum sit, ex natura nasci qua-
 si tortilia ejusmodi cornua, non arte
 facta esse, ut nonnulli opinabantur.
 Et sanè, similes tortilium striarum
 ductus, ac fibrarum quasi in spiram
 inflectiones, licet obscuriores, re-
 præsentant quoque Arietum nostra-
 tium cornua; ac in Phaseolorum plan-
 ta, aliisque similibus Convolvuto-
 rum generibus, non absimiles strias
 in gyrum spirali ductu affurgentes,
 observamus.

30. Pra-

30. Prædictum autem Cornu, ex Groenlandia allatum, non è fronte enatum erat; sed rostri instar è parte extrema & anteriore ossis capitis procedebat in directum, rectaque ad extensionem illius antrorsum exporrigebatur, eo modo, quo Xiphii pisces dicti gladium vel ferram dentatam secundum extensionem corporis in directum exporrigunt. Quod certissimo indicio est, aquatile animal esse, utpote quod in terris cibum capere non posset: aut saltem, si in terris quoque exspatiari contingat, amphibium esse.

31. Ossi capitis lat. vasto, ac magnitudine caput integrum equinum aut bovinum longè superanti, ad quatuor circiter palmorum longitudinem cornu insertum erat, in strias procedens, sinistrorsum, mox ubi è capitis osse enascitur, haud aliter atque à Bellonio paulò antè est depictum; ac desinens in subtilissimum acumen.

Longitudinem deprehendi septendecim palmorum, seu sex circiter pedum: Crassitiem, ubi è capite enascitur, funiculo circumjecto sumptâ mensurâ, sex digitorum cum quadrante. In ipso Capitis osse, haud longè ab enato cornu, duo observabantur foramina, juxta invicem sita secundum ossis latitudinem, veluti in Xiphio pisce observamus. Dentibus omnino os illud capitis carebat; velut & terrestria animalia cornigera supernè primores dentes non habent. Foramen, unde cerebri medulla in spinam dorsii exposita fuerat, in posteriori parte conspicuum, è directò respondebat ipsi cornu: ex quo demum cum Amsterodamum esset allatum, fatida medulla exempta fuerat. Juxta ipsius cornu radicem, pars ossis ab uno latere abrofa cernebatur, ibidemque dentium, quibus facta abrosio, vestigia manifestè deprehendebantur: Ut verisimile sit, siquidem amphibium animal

mal non fit,) quandoque ossa illa, & cum iis cornua inserta, ab urfis, vel id genus aliis robustis animalibus, è littore in vicinos montes ac loca sylvestria, escæ causâ, dum adhuc recentia sunt, & adhærescit caro, transferri: Nec enim insignis gravitas est, quæ ipsa maximam patrem à capitis osse additur. Cornu prædictum nitore splendebat, ac eboris instar candidebat.

32. Aliud ibidem cernere erat fragmentum, decem palmos longum è capitis osse exemptum, radicem habens, quâ insertum fuerat, palmarum quinque: crassities illius in circumferentia juxta radicem octo erat digitorum: Hoc magis fuscum erat. Erat, & ibidem aliud integrum, sed minus, undecim palmos longum, præter radicem, simili modo ut præcedentia conformatum. Anno autem sequenti (1646.) aliud Amsterodamum advectum fuit Cornu ex Groen-

M 3 landia,

landia, à nauta quodam privato, (præter alia minora cornua,) longitudinem habens septem pedum cum semisse, circumferentiam inferiùs circiter novem digitorum: Quam mensuram mihi communicavit aliquando Clarissimus Collega meus p. m. D. *Christophorus Matthæus*, Med. Doct. atque Logices in Illustri Athenæo Gelro-Velavico, dum viveret, Professor.

33. Quamvis autem hæc cornua Eboris instar prædura sint; habent tamen crustas crustis inductas, (velut in coëpis tunicæ tunicis sunt involutæ, aut in Lapide bezoar cortices corticibus superinductæ;) Quod equidem in superiori diffracto, (de quo dixi,) apparebat manifestè, in quo particula extremæ crustæ exemplâ erat: interior verò simili modo levissimè ac polita cernebarur, nec aliâ ratione striis & canaliculis spiralibus insignita, quàm exterior. Cavitas autem in radice amplior est; eaque mox angustior

stior reddita ad exortum cornu extra
 traniunt prominentis, paulatim ipsius
 cornu decrementum versus cuspidem
 imitatur: ita ut fragmentum prædi-
 ctum eâ quidem parte ubi diffractum
 erat, seu ubi superior & acuminata
 portio erat ablata, vix minimum di-
 gitum cavitate exciperet. Illa secun-
 dum longitudinem exporrecta cavi-
 tas (quam Bellonius non observavit)
cornu esse potius, quàm dentem, ar-
 guere videtur; quarevis in ipsum os
 capitis profunda insertio suadeat con-
 trarium.

34. Ab ultimo illo, quod à Socie-
 tate Groenlandica asservari comme-
 moravi, experimentum aliquoties
 sumptum fuisse, retulit mihi ex Affes-
 soribus non nemo (*Monfr. LeFevre*,)
 qui scrupulo uno pulveris ejusdem
 copiosum prolici sudorem testabatur.
 Similem illius cornu virtutem tradit
 Th. Barthol. Cent. 4. obs. 4. Ita no-
 tatum vidi à Nobiliss. & Ampliss. Vi-

ro, p. m. D. Ernesto Brinckio, Consule Harderviceno, *Vnicornu illud*, quod ad Fanum Dionysii asservatur, in obscuro aræ fornice, aquæ extremâ sui parte immersum esse, ex qua aqua potu hausta utentes in copiosum solvantur sudorem.

35. Sed inquit Bellonius cit. paulò antè loco: *Vnicornu apud Veteres in usu medico nullius fuisse autoritatis: nam, inquit, si quem habuisset, Autores procul dubio eam non reticuisissent. Aristoteles inter ea animalia: qua bisulcam ungulam habent, Orygem recenset Vnicornem, inquit, at facultatum cornu non meminit. Columella etiam Oryx cognita, &c. Quod si Romani, inquit, res exoticas plurimum aestimantes, tam insignes Vnicornu (quales nunc illi tribuuntur,) facultates intellexissent, haudquaquam eas silentio pressissent. Non negamus, inquit, quin Vnicornu rarum & pretiosum aestimarint: sed non ut in medicamenta reciperetur, quemadmodum nunc fit. Eam ob causam, ut in-*

in ingenuè quid de eo nobis videatur, dicamus: Comperimus Unicornu Veteribus cognitum nigrum esse debere; id tamen quod apud nos in usu, candidum est. Et Paulus post: Vnus *Ælianus* (libr. 4. cap. 52.) auctor est, Unicornu Medicum usum præstare; attamen illud nigrum facit: cum verò nostrum alterius coloris sit, dicemus ab eo quod veteres descripserunt, diversum esse: præsertim cum ipse *Ælianus* scribat, *Asinum Indicum* cornu in fronte gerere, cui interior pars alba sit, superior phænicea, media verò planè nigra.

36. Equidem, plura esse maiora animalia Unicornia diversi generis, certum est; at cornua animalium toto genere differentium non esse ejusdem naturæ, adeoque nec earundem virtutum, omnino non est dubium. Fieri autem potest, ut fortè cornua Unicornium diversa Antiquis fuerint cognita, nullius vel exiguæ virtutis Medicæ, at aliud quoddam Unicornu, quod magnæ in Medicina facultatis sit, de-

mum subsequenti ætate posset inne-
 tuisse: Ac vero simile est, illud ipsum
 quod Bellonius fortè *Piscis dentem* exi-
 stimavit, quod aliis *Piscis* cujusdam
 cornu habetur, non fuisse visum Ve-
 teribus, vel exploratum. Natura re-
 rum Sacra sua non simul omnia par-
 dit: Non una ætas omnia invenit.
 Multa etiamnum nostris observantur
 oculis, quorum facultates ignora-
 mus: ipsi Posterì, nobis successuri,
 multa hætenus nobis incognita com-
 perient, nosque tam aperta nescivisse
 forsitan mirabuntur. Cæterum prædi-
 ctum illud *Piscis cornu*, non modò ve-
 rum *Unicornu* non esse, sed ne quidem
 verum esse cornu, sed dentem omnino
 esse, rationibus Olai Wormii ac suis
 comprobat Th. Barthol. magni Pa-
 rentis magnus filius, de Unic. cap. 15.
 Ac inter alia, *illo cornu ficto*, inquit,
totas naves onerarias impleverunt nuperrimis
annis mercatores nostri, atque in Europam
pro vero Unicornu intulissent, nisi detracta
larrâ

larvâ à peritioribus pro marina agnitum fuisset & detectum.

37. Verùm, antequam de Unicornu vulgari, quod in Officinis dudum venditur, (etiam ante Cornua Piscium frequenti numero asportata,) quod in maximo haberi passim solet pretio, definiamus quicquam; varia Unicornuum genera sunt prius expendenda obiter, ac contemplationi pleniorè suggerenda: De *Æliani* quidem illo Unicornu, quod Medicum præstare usum asserit, nil certi possumus asseverare; nisi quatenus ex parte cum *Philostrato*, paulò antè tradito, videtur convenire: verùm id non convenire cum vulgari nostro Unicornu, satis ipse color arguit; *Scaligeri* quoque Cornua Monocerotum, non omnia ejusdem sunt coloris: *Subflavum* unum est; unum *subluteum*, accedens maxime ad *buxum*; unum *subpurpureum* recenset: Etiam habemus frustum candidum, inquit: At interim cornutum

M 6

piscem,

piscem, quem tradidimus, cornu gestantem candidum, nescivit; *animal terrestre* descripsit. De quo quidem animali inquit Franzius, *habere cornu bicubitale, intus candidum & splendidum; sed foris nigrum, propter corticem quo tegitur*: Quod fortè rectius quadrabit in *Rhinocerotis cornu*, quàm in *verum Unicornu*. Certè tantâ virtute contra venena valere creditur *Rhinocerotis cornu*, ut in locum *Unicornu* veri substituatur à Garcia ab Horto, Monarde, aliisque; ac Franciscus Pena in novam Antidoti sui compositionem idipsum adoptarit: De qua re videatur Th. Barthol. de Unicornu cap. 21.

38. *Piscium* autem cornua esse, seu *animalium aquatiliu*, quæcunque in Europa dudum celebrantur, relata in Principum thesauros, atque magno æstimata pretio; striata nempe illa, certum nobis & indubitatum est, quia tale cornu, ossi capitis in hærens etiamnum,

num, vidimus: sunt autem confimiliter formata omnia, erecta, striata, intus cava, ac è paulò latiore ambitu inferiori, æquabiliter in cuspidem surgentia. Ejusmodi est illud quod in Arce Windsor Angliæ consuevit asservari; tale item quod in Fano Dionysii in Galliis: Similia sunt tria, quæ solebant Ultrajeeti conspici, ad Fanum D. Virginis, (Henrici I V. donum elegans;) ad quorum apices confecta erant aurea candelabra. De iis quæ sunt Amsterodami nihil repetam. In Zelandia alicubi confimile asservari cornu, strigosum, ex albedine quodammodò flavescens, longum ped. 12. ex prænominato D. Brinckio olim cognovi: ferebatur hoc à Nautis in scopulis Groenlandiæ, non longè à maris littore, repertum; procul dubio ab Urfis aliisve feris paululùm à littore ablatum.

39. Reperiuntur etiam *Cornua fossilia*, similitudinem externam Cornu,

M 7

at la-

at lapideam potiùs naturam obtinentia, quæ pro *Unicornibus* venditantur. Cum vallo ac munimentis cingeretur Orsovia, ex ipsa fossa eruta sunt *tria* ejusmodi *cornua*, sesquicubitalia circiter, quæ à militibus ac operariis diffracta sunt, ac inter varios distributa. In paludosis prope Goudam locis simile cornu à Rustico fossore olim inventum, ac tenui pretio mercatori cuidam venditum. Similiter aliquando in patria mea, in Comitatu Moersensi, non longè à Rheni ripa, simile cornu à Rustico quodam erutum: Simileque prope Velasiam, juxta Lip-pam fluvium interfodiendum inventum Anno 1622. Prope hanc nostram Groningam, in *'t Groninger Diep*, ante plures annos elegans ejusmodi *cornu fossile* repertum esse, ac divenditum alicui Canonico, qui sibi è parte crassiore torno poculum concinnari curârit, ex privatis Observationibus rarioribus Nob. & Ampl. D. Brinckii olim

olim notavi: Ex illo autem tornatili opere colligi potest, solida esse *fossilia* illa *cornua*, non ut prædicta Piscium, *cava*.

40. *Ejusdem generis* putem esse illud quod Dreldæ in Aula Electoris, ac ejusdem Gazophylaceo asservatur, ferè utrimque eandem habens crassitiem, undecim spithamos longum, aureâ catenâ è trabe suspensum, cum adhærente sagitta, ex simili substantia confecta.

41. Haud absimilis substantiæ fuisse reor *Placentam* illam ex *Vnicornu* fuso quæ inter Rariora Paludani Enchusæ conspicienda fuit, ex donatione Sereniss. Electoris Brandenburgici, figuris quibusdam impressis ornata, cum hac inscriptione.

*Mein anfang hatt die Erd gebracht,
Ich bin auß blut vndt fleisch gemacht,
Ein todt sein war ich lange zeit,
Nun lehrt man erst mein herrlichkeit.*

42. Equi-

42. Equidem reperiri etiam Ebur fossile, notat Andreas Lacuna libr. 2. cap. 50. comm. in Dioscor. sed à quo id edoctus miratur Garcias ab Horto libr. 1. cap. 14. quandoquidem, inquit, nihil à veritate magis alienum. At Carol. Clus. Annot. in cit. Garciaz locum hæc habet : *Lamulis quibusdam Eboris fossilis, quæ nativum emulantur, sed crusta quadam candidissimâ inductæ sunt, biennio antè quàm Garciam Latinum facerem, à Rassio nostro, omnium Naturæ miraculorum diligentissimo observatore, donatus sum. In Italia erui hoc Ebur intelligo, & magno in usu istic esse adversus virulentorum animalium morsus. Habeo deinde aliis in Provinciis erutum, & apud quosdam Amicos conspexi.*

43. De Piscibus item fossilibus vid. Jonston. Admirand. Pisc. cap. 22. & H. N. Pisc. libr. 2. tit. 2. cap. 7. item Georg. Agricolam, peculiari de Animal. subterranean. libro, prope finem; Ac imprimis Claud. Dausquium de
Terra

Terra & Aqua lib. 2. cap. 9. ubi, re-
 periri *Pisces fossiles* testimonio Empe-
 doclis, Aristotelis, Theophrasti,
 Strabonis, Athenæi, Polybii, Pli-
 nii, Senecæ, aliorumque probat: mul-
 ta ibidem de hac materia lectu dignif-
 sima, habet citatus Autor: ex quo
 libet hoc saltem recitare: Goropius Be-
 canus, *multijuga lectionis Vir*, quique de
 multis judicio acerrimo differmit lib. 3. Ni-
 loscopii, p. 241. hac: In litore Anconi-
 tano saxa magni ponderis, quinquaginta
 & plurium etiam librarum, è mari trahun-
 tur: hæc color & constitutio exterior ea est,
 qua lapidi *Ætiti*, &c. Rumpuntur hæc
 saxa majoribus malleis, magna vi impa-
 ctis, quo pisciculi delicatissimi
 extrahuntur, ejusdem generis cum Soleni-
 bus, quas Cappas longas Veneti appellant;
 sed eo delicatiores, quod non aquâ marinâ,
 sed rore quodam tenuissimo per lapidem im-
 bibito pascuntur. Hi plures numero, ad
 viginti, modò plures, modò pauciores, ita
 sacco includuntur, ut singulis suus sit nidus,
 ad ma-

ad magnitudinem & figuram piscis omnibus lineamentis respondens: inter ridos saxeo interstitio relictio: Ex his veluti è vaginulis rupto lapide eximuntur integri Solenes, ad palatum & lumbos delicatiorum plurimum facturi. Quod si in his saxis vitos, absolutosque, cum unguiformi sua fistula; quid sub terra? sub limo, & catin? Theophrastus, Atque huic non est absimile, quod in Ponto accidit, ubi gelati pisces capiuntur in glacie, qui non ante aut moventur aut sentiunt, quàm in ollis positi sint, & elixentur. Quod præ ceteris gobionibus accidit. Eà re dictum Senecæ lib. 3. Nat. Quæst. cap. 17. Non cum retibus aliquem, aut cum hamis; sed cum dolabra ire piscatum. Ibidem: Et sunt qui fabulas putent; piscem vivere posse sub terra, & effodi, non capi.

44. Tales sub terra immobiles Pisces agnoscit Arist. libr. de Respir. qui fodiendo inveniuntur: Accur inibi non suffocentur, causam reddit, quòd, quæ carent pulmone, aut eo exsangui

gui sunt, minùs respiratione indigeant. Cùm autem in talibus passim reperiantur locis, ubi ex aquarum inundatione hæsisse nulla queat esse suspicio, ac impossibilis sit mutus coitus, ut loquitur Theophrastus, sub sponte ibidem provenire cum hoc ipso statuendum est. De Carne item *Fossil.* videatur Jonston. Admirand. *Fossil.* cap. 35.

45. Unum de *Unicornu*, dignum fortè admiratione, subjungam. Notat Ampliss. D. Brinckius ex aliorum relatu, prope Pragam Bohemiz, juxta fluvium, à quodam Rustico *Unicornu cum cranio* è terra aliquando esse erutum, quod in Thesaurario Imperatoris asservetur. Crediderit fortasse quispiam, protuberantem ac magis luxuriantem materiæ partem, *Cranii* portionem mentiri: At certè reperiuntur etiam in Germania & Italia ex terris effossa integra animalia petrificata, & animalium partes, dentes, ossa, tibia, maxilla,

maxilla, ac ita inter cœtera etiam *cor-
sua*: Aliquando & *ligna fraxini, ju-
glandis*, alia similiter, in lapidem ver-
sa, ita ut aliquando species ligni no-
sci, imò interdum odor deprehen-
di queat: ut exemplis variis refert.
Casp. Barthol. de Unicornu, cap. 9.
Verum ad similia hîc ultimis miracula
lustranda, non est quod in Italiam vel
Germaniam transeamus: vicinæ no-
stræ paludes cespitosæ per amplam no-
bis hujusce rei materiam suppeditant:
Non tamen illa nostratia corpora sub
Paludibus subnata esse, sed submersa
potiùs, existimo.

46. Cœterum plures *Vnicornium spe-
cies* inter animalia majora recensentur:
Et octo quidem genera constituit
Barthol. Opusc. de Unicornu, cap. 1.
Ac inter minora animalia tria genera
addit. Recenset etiam *Serpentes Vnicor-
nes* Albertus magnus; referente Al-
drovando de Quadrup. libr. 1. cap. 7.
Velut & *bicornes, tricornes, & multicornes*.

vel.

nes. A Cornibus nomen accepit *Cerastes*, serpens perquam maleficus & pestilens. Recenset & *volatilia insecta Unicornia* idem Aldrovandus: è quorum genere & bicornia sunt, quale est illud quod *Cervus volans* dicitur, quia Cornua similiter ut Cervi ramosa habet, quæ occultâ quadam proprietate spasmo mederi, si tantum manu retineantur, ex Viris fide dignissimis se accepisse citatus Autor refert. Quin & *Rhinoceros avis* occisa dicitur in aëre, & in ipso volatu, cum Turcam Christiani acie superabant navali, ut ex aliis refert Jonston. Admir. Avium cap. 25. Caput duorum propemodum dodrantum, inquit, cirris ornatum, nigris, altis, deorsum spectantibus: Rostrum propemodum dodrantes longum, recurvum, instar arcus cujuspian: *Cornu* è fronte nascitur, & supinæ rostri parti adhæret, magnæ molis: nam prope frontem palmum unum latum est. Videtur esse Aldro-

Aldrovando *Trapopanada* Plinii. *Alia* item *Avium* & *Insectorum Vnicoruium* species refert. Thom. Barthol. de Unicornu cap. 7. 8. 9. Sed ista obiter.

47. Ex prædictis apparet, quid de *Vnicornu vero*, ejusque in *Medicina* usu sentiendum sit? Quis è tot generibus *verum præ* reliquis aperuit? Quis *vires* dudum decantatas, huic potius quàm illi speciei tribuendas ostendit? Quin imò quotus quisque *Pharmacopœorum*, *Simplicistarum*, vel aliorum privatorum, qui *Vnicornu* jactant, qui magno illud pretio divendunt, certus est, se vel *Asini Indici*, vel *Orygis*, aut *Bovis sylvestris*, vel alterius cujuscunque *terrestriis animalis* cornu possidere, vel frustula decerpta à *Cornibus Piscium*, vel *fossilium cornuum fragmenta*? Quotusquisque eorum qui lucro exinde inhiant, unquam experimentum fecit facultatum rei, quam magno pretio divendit? An verò *futilibus rebus*, ac fortè magis *noxiiis* quandoque,

doque, quàm utilibus, omnino autem interim incertis, tantam illico virtutem, tantum valorem, assignabimus, quòd in Officiis *Unicornu* nomine audiat.

48. Equidem *Verum dari Unicornu*, seu substantiam aliquam, quæ tali nomine audiat, ac interim singulari polleat virtute, in dubium non voco; nec decantatas contra venena laudes vero *Unicornu* detraho; dum interim idem nequaquam omnibus morbis promiscuè convenire contendo: Interea verò, quis, ubi ægro *Unicornu* præscripsero, me certiore reddet in tanta ambiguitate, *Verum Unicornu* depromptum iri ex Officina, *verum* in Urbe reperiri? quis contrà metum ac sollicitudinem mihi eximet, ne fortè pro Unicornu materia quæcunque noxia ac lethifera proferatur, ipseque, dum magis certa ac salutaria remedia negligo, incerta præscribo, mortis causam præbere censeam?

An

An non observanda potiùs aurea illa admonitio Horstii, quam recitat Wolfgangus Hoeferus, Ferdin. III. Imperatoris Aulæ Medicus, in suo Hercule, libr. 8. (p. 353. *Quia Unicornu, aliaque similia, ob pestilens lucrum multoties adulterari, ac difficillimè dignosci solent, cautos in exhibendis talibus nos esse oportere, ac præstare notioribus, tanquam certius expertis, uti, v. g. Cornu Cervi, terrâ sigillatâ, &c.*

49. Judicium hac de re magni Medici, Zacuti Lusitani, recentis Scriptoris, subjungam, ac definam: Sic ille Med. Princ. Hist. libr. 1. obs. 36. de Unicornu, de quo multa fabulosa ab Autoribus passim proferri ait:)
Audivi quosdam, qui Unicornu pro curandis melancholicis symptomatibus, & refranda cujusvis veneni potentia, aliis Bezaarticis medicamentis anteponendum esse crediderunt. Sed cum usus illius adhuc sit incognitus, quum verum Unicornu (NB) in domibus Magnatum vix reperiat, (ut referi

refert Gesner. libr. de Quadrup. cap. de Unicornu, & passim pro eo Boum aut Equorum ossa vendantur, in eorum opinionem descendere non possum. Et paulò post : Explicare debuissent, qui tanti hoc cornu faciunt, ex quo animali id esset desumendum. O! Utinam explicuissent, ne in re tanta tota periclitaretur Medicina ! Et maxime, cùm in hoc sibi non constant, qui modò solum Asinum Indicum esse Unicornem, modò in Æthiopia esse boves Unicornes scribunt. Quàm ambiguitate intricati plures, plus alia viliora præferunt antidota, quàm rem pretiosissimam, thesauris Regum anteponendam, qui vix in Principum domibus reperitur. Si tamen legitimum habeatur, (quod puto fere impossibile, inquit,) non dubito mirabiles contra quodvis venenum præstare utilitates Quod enim à circulatoribus passim circumfertur, (addo quod in Officinis passim prostat,) nullius momenti est, nec commoditatem ullam parere potest. (Quomodo autem verum Unicornu explorari debeat ex

N

aliis

alils exponit Wolf. Hoeferus loc. paulò antè citato: de qua re pluribus Th. Berthel. de Unicornu, cap. 29.)

50. Cum ergo incertum omnino sit an verum Unicornu in officinis nostris ullibi reperiatur, quin imò sit certissimum, plerumque fucatum aut falsum pro vera venditari, ipsosque Pharmacopolas non nisi aliorum, (lucro potius inhiantium, quàm incolumitati egrorum studentium, fide niti in talibus; viderint, quæso, quàm probè Aëgis consulant imperiti Medicastris, Impostores, qui nec morborum, nec corporum, nec causarum morbigarum cognitionem habentes, sine Arte, sine methodo, temerario ausu promiscuè Unicornu præscribunt; idque in morbis fonticis, ubi verè præceps occasio, ubi mora ipsa lethifera; dumque sub tali medicamento (dein hoc prætextui, dum inzerim alius lethalis error committitur) spe inani miseros decipiunt, ac interim

interim persuasionibus suis à meliori cura, à melioribus remediis, (quæ ipsi non intelligunt,) eosdem arcent, viderint, inquam, an non mortis causam præbere censendi sint.

DE MONOCEROTE.

*Ex Annot. D. Guidon. Pasini,
Medici Parisiensis, ad Tractatum
de Peste D. Nic. Ellain.*



T portentofus ex-
titit, qui ex commen-
tatio de Monocerotis
cornu manavit abufus,
fic plurimorum Medi-

corum laudanda confilia, qui identi-
dem fuo quifque tempore, folidiffimis
rationum momentis illud expugna-
runt, omnique experimentorum ge-
nere proferibere aggroffiffime, dubi-
que procul amandatum profufiffime
exoleuiffetque, fi malè caufum vult

gus, cujus faciliè luditur ingenium, frat-
 dem non adjuvisset promovissetque,
 majori fide Empiricis Agyrtisque com-
 modatâ, quàm Medicis, qui ejusmo-
 di ludionum inventum profligare seriò
 moliti sunt. Verùm (Dei benignitate)
 irritus non fuit illorum conatus. Nam
 si usquequaque sublatus abusus non est,
 valde certè attritus penèque extinctus
 est, Veteratorum opprobrio, quibus
 rethnas fraudesque prorogare volu-
 pe est. Quamobrem hîc de eo multis
 non agam, aliquot duntaxat addu-
 ctis rationibus, quæ curiosis satisfacere
 poterunt, ut ultimam huic mon-
 stro mactando manum adhibeam. Pri-
 mò maxima discrepantia dissensioque
 est inter Scriptores penes Monocero-
 tis essentiam. Secundò in ejusmodi cor-
 nibus non sapor, non odor, aliave
 qualitas existit, quæ luculentum ullum
 salubritatis effectum prodere valeat.
 Tertiò, cum cornuum materia siccissi-
 ma sit, malè affectum corpus minimè
 nutrire,

nutrire, nisi forsan exsiccando, valent; quod longè commodius ex boum arietumve cornibus passim obviis efficere-
 tur, quam ex id genus supposititio, ex
 mari, (ut ajunt) rubro transvecto, ut
 splendidiùs veneat, & auro contra pen-
 datur. Quartò, neque Hippocrates,
 neque Galenus, aliuvè Medicinæ ali-
 cujus nominis autor, ullam unquam
 virtutem cornu Monocerotis ascripsit.
 Si quid verò ab aliquibus de eo scri-
 ptum, id ex auditis aliorumque relatu
 hæsitanter affirmatum. In re autem tan-
 ti momenti, Agyrtis, ex mendacio
 fraudibusque lucrum captantibus, ne-
 que peregrè advenientibus temerè cre-
 dendum est. Quapropter unumquem-
 que candidè hortor, ne ab hujusmodi
 captiosa merce ludificari se patiatur,
 cum longè efficacioribus, præ hoc men-
 tito, Cornu Cervinum, viribus ante-
 stet. Eruditissimorum Medicorum au-
 thoritate nostrâ sententia fulcitur, maxi-
 mè DD. Capellani, Dureti, Petræi,
 N 3 Altini,

Altiſi, Scholæ quondam Pariſienſis
 Doctorum; Mercurialis, Baccii, Syl-
 vatici, Itatorum; Thomæ, Eraſti Ger-
 mani; ſexcentorumque aliorum, quo-
 rum rationum momenta diffuſius aliàs
 ſumus emucleaturi. Quòd ſi qui adhuc
 ſint, qui fucum ſibi fieri aveant, ma-
 lintque veſanis improbiſque nebuloni-
 bus, queſtum inde aucupantibus, quàm
 conſulciſſimis candidiſſimiſque homini-
 bus, ex animi ſententia rerumque pe-
 ritia de eo momentibus credere: eis ſal-
 tem autor fuerim, ut periculum faciant:
 tumque ſuo comperiant damno, quæ-
 cunque de eiſmodi cornu mirabilibus
 memorantur, meras eſſe nugas: tum-
 que reſpondere poterunt, quod Apol-
 lonius Damidi ſciſcitanti, num crede-
 ret mirandis virtutibus, quæ vaſculo
 ex cornu Monocerotis conſtrato tribue-
 bantur, ſoſtinviter reſpondit, Credam,
 inquit, *ubi reſſet vero ditionis illius Regem*
eſſe immortalis. Sed hæc ſaris de Mono-
 cerotis ſuppoſitio cornu. Qui plura
 velit,

velit, Paræum libr. 21. Chirurgia legat,
ubi strenuissimis rationibus experientem
tisque anxia de illo ludicro amuleto de-
liramenta perdoctè refutantur.

*Opera pretium porro me facturum ar-
bitror, si sequentes rariores Observatio-
nes, ab Excellentiſſ. ac Celeberrimo Viro,
D. J. CASP. FAUSIO, Archiatro
Palatino, & in incluta Heidelbergensi
Academia Medicina Professore primario,
mihi submissas, adjungam, facientes im-
primis ad declarationem §. 45. ac uberio-
rem de Monocerote, animali celebratissi-
mo, cogitandi occasionem suggeremus.*

ANTONIO DEUSINGIO,

J. CASP. FAUSIUS, S.

*Nobilis, Clarissime, atque Excellen-
tissime Vir, &c.*

JUcundissimæ tuæ cum gratissimis
munusculis incredibili me affece-
runt gaudio, non solum ob rei ipsius
dignitatem, quod memoriam nostri

N. 4 apud

apud tantum Virum viderem nondum esse oblitteratam, verum etiam quod summum rerum omnium momentum attigerint, id est, in tempore venerint, quo quàm maximè talia, ad discutendam & detergendam gravissimam ex infinitis curis & laboribus prognatam animi ægritudinem, optassem. Satisfaciam iis omnibus, si non ut Tu quidem & mereris & desideras, at quantum vel virium & ingenii mei tenuitas, nec non & temporis angustia permittit, cujus apud me dispensatio tam exacta, ut hæc ipsa apud Nobilissimum quendam Consiliarium Archipalatinum, in extremo vitæ periculo constitutum, intempestâ nocte exarare cogar. Quam autem breviter & methodicè illa, quæ ab aliis prolixè & dispersè de Monocero & Lapide Bezoar fuerunt commemorata, tanquam diligentissimâ assiculâ selegisti, congestisti? Movit me hæc tua diligentia, ut quæ mihi præter ea comperta sunt, neglecto scriben-

scribendi labore & temporis dispendio, Tibi vicissim transmittere voluerim. Et prolixius quidem ex Decade Fabularum elegantissima Johan. Walchii exscripsi, Viri docti, fide digni, & apud nos paucos ante annos satis noti: Brevius autem scriptum pars est Epistolæ Clarissimi Conerdingii Medici Hanoverani, qui simul specimen Ossium, quorum mentionem fecit, ad me transmisit. Ex quibus primum Dens est molaris, digitum latus transversum, longus articulum pollicis anteriorem, altus latum pollicem, cujus quatuor inferiores radices præfractæ, pars superior egregiè splendens, saxeâ undiquaque, imò siliceâ duritiæ. Alterum Dens Caninus maximus: Leonis fuisse diceres, tantâ quoque duritiæ, ut nihil inde deradi possit. Tertium pars tibiæ videtur, cava intus ut digitum faciliè intrudas, mollius tamen, ut scorbem nullo negotio deradas. Unicornu vel Ebus fossile apud nos frequens, nu-

N 5 per

per adhuc ingens frustum repertum: Dentem Elephanti refert quantum juxta proboscidem prominet, ad brachii longitudinem. Sunt mihi Cornua Cervina, ut primis annis absque ramis enascuntur, quæ magnas ille Crato Tecum dubio Unicornu præfert. Quod si forsitan apud vos rara sunt, lubentissime proximâ occasione transmittam; sunt enim pulcherrima, & quâvis si eâ acutiora. Saluta Buschum nostrum. Salve & vale cum omnibus Charissimis. Vale iterum atque iterum Christo nostro commendatus. Heidelbergæ d. 26. Febr. styli vet. 1659.

JOH. WALCHIUS,

Decadis Fabularum impressæ Argentorati apud Zerznerum, Anno 1609. pag. 280.

CUM ante annos plus minus 230 Studgardia cedens Wiennam Austria, & hinc in Moravia concessisset,

fem, quorundam quæ tum me sollicitum tenebant negotiorum causâ: bidui itinere ab Urbe distantem in Molaria vicum attingi, nomine Bauforum, in quo, cùm à viris quibusdam bonis hospitio exceptus ac humaniter tractatus, vix biduo hæsissem, narratur mihi cùm ab his ipsis, tum ab aliis quibusdam fide dignis, præcedente ejusdem anni Vere (accesseram a. ego in Septembre) in vicinia ac territorio suo, in vineto quodam repertum esse Monocerotem, à privatis quibusdam, ac duobus vinitoribus sociis, qui lignis fundum versuri, non belluæ Cornu tantum, sed & totum animantis *κέρας*, & singula, quibus dum in vivis esse dabatur, certa corporis proportionem, fera illa bellua sustinebatur, ac robore prævalebat, atque integra ossa (quorum nullum vel corruptum, vel carie aut putredine totaliter consumptum fuerit) ex terrâ exuerent, utpote Calyariam, hujusque Syncipiti affixum

affixum Cornu, & mandibulas, mandubulisque insertos singulos Dentes, spinam Dorsi, cum annexis costis, & tibias & fistulas cunctas, & in summa, omnia & singula artuum ossa, quibus tantam olim belluam conspici, & vitales ab illa actiones perfici contigerit. Horum ego ulteriori & magis specificæ narrationi intentus, quæ res habuisset, maximo cognoscendi desiderio tenebar.

Elocaverat quidam illius loci civis vinetum quoddam duobus Juvenibus, certâ mercede, annuo labore, & requisitis operis colendum. Hi culturæ illius initium facturi, hoc sibi primum laboris sumunt, ut in vineæ vertice ac montis cacumine cuniculos agant, ac cryptam fodiant, quâ & lagenam suam abdant, illicque haustum gelidi vini, quo subsequenti æstatis tempore ab improbis ac continuis laboribus deficiente spiritu, se recreent, atque à solis ardore tudentur, aut etiam instru-
menta

menta sua fossilia reponant. Vidi ipse
 ibidem loci terram adeò compactam,
 & firmiter sibi hærentem, ut plerique
 qui in illa provincia ad montium ra-
 dices habitant, quàm longissimo tractu
 in montana cuniculos agant, quibus
 & cellæ vinariæ & promptuarii aut
 etiam granarii vice tutò utuntur, nul-
 lis licet laquearium fulcris suffultos.
 Hi igitur vinitores socii cum jam fo-
 diendo mutuis operis satis justo spatio
 progressi essent, atque ad montis ima
 pertigissent, cavam, post angipor-
 tum, foveam formaturi, hem! ex im-
 proviso in grande quoddam atque in-
 gens & Cornu, sed & alia passim in
 crypta illa, prodigiosæ magnitudinis
 ossa ligonibus suis impingunt, & quid
 hoc rei sit, rationem satis capere ne-
 queunt, qui, quo magis fodiunt, hoc
 plus mirantur. Posteaquam ergo jam
 biduum nulla cum cautela, sed maxi-
 mâ imprudentiâ, hunc tantum thesau-
 rum tractassent, animantis ossa exse-
 cant;

302 DE UNICORNU.

cant, summâ vi erunt, ligonibus contundunt, & quibuscunque possunt rationibus è foveâ producunt: bonâ ossium parte projectâ, tandem etiam ingentis ponderis ac magnitudinis rectissimum atque in acutum desinens cornu, ingentem atque adamantinam spinam, animantis fronti quæ affixa erat, magno conamine egerunt ac producunt. Et quia tanto iudicio ac discretionem, hanc ut rem cognoscerent, insulsi præditi non erant, aut vix unquam antehac de Monocerote quicquam auditum ulli erat, negotium cum sociis communicant, qui hac de re imperitorum atque agrestium hominum more inter se disputant, atque concertationibus tam diu stultè inhærent, alio Unicornu asseverante, alio negante, donec accipiti hac ac parùm salâ quæstione indisscussâ eò res inter Rusticos redacta est, ut in rei certificationem, & ut omnem animis suis eximerent scrupulum, præstantissimum hoc, & vix ullo pretio re-

tio redimendum Cornu, imperissimi
 & ignavissimi homines, quod adeo
 solidum firmum & compactum (ut
 mihi ipsi illi referebant) ut nullo alio
 nec modo nec medio findi aut rumpi
 potuerint, tandem vægrandem atque
 Adamantinam acum seu spinam hanc
 securi (heû mihi !) maximâ vi rupe-
 rint ac perfregerint, non secus ac si
 ligna fissuri in trunci durissimum atque
 in se reductum nodum cùm incidunt,
 euneis adhibitis, atque iteratis ietibus,
 tetrici rustici, maximo conamine, re-
 luctantem tam diu Caudicis duritiem
 quatiunt, & contumacem super incu-
 de flagellant, hiulca tandem in partes
 donec abeat, ac frustra disjiciatur. Non
 secus hi, quibuscumque potuerint mo-
 dis ac rationibus vix tandem adaman-
 tinum hoc Cornu ac durissimum os in-
 genti nisu & vix tandem se perfregisse
 mihi confirmabant, solum in hunc fi-
 nem, ut hic unus quidem, alio alter
 item loco peritiores quæreretur, atque
 crebris

crebris adhibitis experimentis expiscaretur, Unicornu utrùm hoc esset, nec ne. Audierant namque pretiosum illud esse: arbitrabantur autem de integro periculum fieri non posse: ergo rumpendum esse. Veris hæc tempore in Martio acciderant. Sequenti Septembre cum peregrinus hospes vicum illum ingressus, vix biduo illic moratum ex illis quidam Juvenibus ac vinitoribus conveniunt, & me ut literatum, ac qui in scriptura (ita loquebantur) versatus essem, compellant, ac meam sententiam rogant, judiciumque hac de re efflagitant, an scil. ingens spina illa (quam dudum ruperant ac disperdiderant, cujus nunquam reparanda frustra nunc in peregrinas ac illorum haud dubiè manus pervenerant, qui & magis nascuti, & tantam majori prudentiâ rem tractaturi erant) tantis ubique laudibus celebratum ac virtutibus prædicatum Monocerotis cornu esset, nec ne? Sed audi: quibus circumstantiis ac signis illi, uno ore &

ore & ultro professi sint, ac non unâ vice, sed pluries, distinctis temporibus, mihi & roganti, & sollicitè inquirenti, constanter ac bonâ fide semper deposuerint, quænam prægrandis illius belluæ & membrorum constitutio & proportio ac vastitas fuerit. Quæ causa sola est, cur hîc hujus rei narrationem susceperim, & Lectori inter nova reperta, & prioribus proximis seculis (quod non absque ratione affirmo) ignorata, & cognoscenda & considerata proponam.

Cornu, quod belluæ fronti affixum erat, rectissimum fuit ac solidissimum, duritie adamantinum, gravitatis rarî ac singularis, aliquantum tortum, nequaquam curvum, ut se vel in hanc vel in alteram magis partem inclinaret, sed in gyrum leviter quodammodo flexum, ac si lævâ parte superiore illuc, inferiore huc sensim dexterâ cereum torqueres, ut gyri illius rotatio vix sentiretur, rectissimè tamen subjecti
linea

linea constante : hoc est , circa spinam , quæ non lentè , sed maximo passu procurrat , spiram duceres . A crassiori forma sensim in acutum desinens : imâ sui basi (ostentum) septuncem diametur continuit , qui pedis medium digito uno superat , ut cordâ maximâ seu dimetiente prope ad licham accederet . Hujus diametri circulum ac basis circumferentiam Tu hinc æstima , Cornu ipsiusque crassitiem pondera ac ratiocinare . In longitudinem non inquisivi , atque in hoc malè me fecisse , ac dormivisse , ajo .

Audi amplius . Ore hiantes ac patulo in terræ visceribus referebant atque crypta illa jacuisse , instar Bucephali aut vægrandis alicujus Equi , cujus vastitatem atque amplitudinem monstrosam nec satis mirari nec satis prædicare poterant . At quia alio modo hujus formam prodignitate se satis describere non posse arbitrabantur , satis crassâ utebantur demonstratione : nam extensis coram me ,

me, quanto hiatu poterant, duobus in angulum acutum, ad rectum fere conformatis, conformabant atque effingebant brachiis, ad hujus figuram nimirum bellæ os paruisse, dentibus maximis & solidissimis circum quaque tam superiori quam inferiori oris parte continuo ordine confertum, parentissimum atque horrendum. Ac cum ex immani dentium specie ipsi illi stuperent, dentium maximum trutinâ examinaverant, trilibris hic pondo repperit est: hinc Tu miraculosam bellæ iterum vastitatem ac robur conjice, ipsiusque animantis debitâ proportionem correspondentis corpori præstantiam, ac insolitum divina pondus. Hunc dentem, quem maximum crediderunt, rustica illa turba non ita multo post, in rei memoriam atque ostentum Curia sue, quam nuper edificaverant, columnæ anteriori, cui magna domus pars incumberebat, laminâ ferream cinctum, catenâ appenderunt, publice.

blicè ut prodigii signum prostacket : qui Dens tamen à quodam , qui plus satis habuisse credendus est , noctu & surreptus & ablatu8 est. Moravien8is porrò libra , (ne 8is nescens : hanc namque rem penitus discutere atque exactè describere gestio) quali illic locorum lanei , & omnes in univèrsu8 , in domesticis & civilibus transactionibus uti homines solent , quæ sedecim vulgo uncias continet , nostram , cujus & in agro Wirtembergiaco & apud Argentinenses usus est , paulò pondere superat ac præcellit : quam vulgo novimus non Asse , hoc est , duodecim (qualis Romana fuit , & hodie Medici ac Pharmacopœi utuntur) sed sedecim uncii8 , hoc est , triginta duobus lotonibus constare , quæ libra Mercatoria dicitur. Hec admonuisse me necessarium duxi , cum ut rei veritas constaret , tum hæc tibi magis prodigiosa existerent.

His cum maximè me commoveri viderent , tantæ rei actores , ex minoribus

ribus dentem quendam alium obtulerunt contemplandum, quem etiam facile vel ex dono impetravissem, si rogassem, vili profectò vel pretio ab ipsis redimere potuissem : sed cùm illum Monocerotis dentem in manu tenerem, atque unius libræ pondus arguerem, aut etiam pluris pendere, abstinui : cùm pediti mihi centum integra Milliaria Germanica in Patriam per Bohemiam revertenti, emetienda esse, ipse mecum perpenderem. Cujus res poenitudinem tamen non semel hactenus animum meum subiisse credito.

Continebat hic Dens altitudinem (quantum oculorum quidem conjecturâ assequi dabatur) latos digitos circiter quinque, crassitudine tres, quadrangularis quodammodò, ut tamen aliquo modo ad circularem accederet, ut aliàs molares sunt in equo, superiore parte nequaquam acutus, sed obtusus ac latus. Quamvis ex proportionem cum superiori (qui ut percepisti trium librarum pondo

pondo erat) molarem fuisse vix credam, sed intermedium forsan aliquem. Eja, à capite ad pedes descendamus.

Tibiarum præstantiam ac fistularem magnitudinem ita mirati sunt, ut nihil supra: in quas, quoties vellent, contortum pugnum absque remora aut molestia se ingerere potuisse, constanter & crebrò affirmabant. Quarum fistularum capacitatis & ego tum nullam prorsus rationem capere poteram. Quæ unica res quoque me de animo dejecit, & magnum incommodum attulit, ac obstitit quò minùs precio hinc inde ipsius cornu fragmenta redemzím, quod haud dubiè potuissem perexiguo. Occurrebant nempe & subinde in mentem veniebant, non tam pictorum opera, qui Monocerotem gracilibus ac velocissimis pedibus nobis hætenus adumbrarunt, atque ob oculos posuerunt, in modum aëripedum Cervorum comparatis; sed idem planè quod plerique quoque testarentur Historici,

storici, atque animantis hujus formam, quam nec viderunt nec noverunt falso posteris descriptam reliquissent. Atque in hoc ego unice tum hærebam, falsa hac gracilitatis persuasione imbutus, quæ unica quoque causa fuit, quò minus ulteriorem inquisitionem, & rei tam rare ac præstantis indaganda tum temporis studium ac illam diligentiam adhibuerim, qualis mihi quidem tum incumbere merito debuisset. Verùm posteaquam à me domum perventum, & res hæc mihi curæ esse inciperet, quòd posteriores cogitationes priores correxissent, Historicos quoscunque tum coacervare poteram, consului: ex pluribus unum veracem Plinium reperi, cujus huc descriptio quadraret, & quod ocularis descriptio testabatur, & res erat ipsa, hoc idem & ille doceret, qui confirmat Monocerotem pedes habere in modum Elephantis, ut videre est l. 8. nat. hist. c. 21. Hactenus ille.

Plura

Plura adhuc addit, quæ ad hanc rem faciunt, sed ea tamen præcipua sunt, quæ hic descripsimus. Quod si forsân Walchii Decas Fabularum & hac quoque historia nota, meam tamen diligentiam Tibique gratificandi studium optimè consules.

*Extractum. Lit. D. Theodori Conerdin-
gii, dat. Hanoveræ, 22. Nov. 1958.*

CÆterùm de ossibus in specu Bu-
manni repertis mentionem fecit
D. Landas. At verò iste specûs trans
Hercyniam sylvam in Comitatu Rin-
stenensi non procul ab arce Blancken-
berg situs est, & nobis aliquanto re-
motior: Celebris tamen est ob magnitu-
dinem & varios cuniculos, qui ad qua-
tuor miliaria subtus terram in solido
saxo se extendunt, & quod mirabile est,
unicum saltem angustum est antrum
huic specui, per quod si quis se profun-
dè dimiserit, longissimè & latissimè sese
diducit. Fundus valde uliginosus, &
gutta

guttæ decedentes in lapidem album & subdurum concreverunt. Ex terrâ eruuntur variorum animalium ossicula, carie ut plurimum consumpta. Horum nihil mihi ad manus, cum longius ab illo loco absum. At cis Hercynios montes, non procul à limitibus Ducatus Grupenhagensis, prope arcem Schanzfelt alius adhuc est specus, ubi itidem per unum accessum angustum profundus est descensus in locum spatiosum, & multis magnis cavernis destinctum: in hoc specu ex terrâ limolâ ac valde humida talia eruuntur ossa, qualia tibi hîc mitto; quæ quidem manifestè apparent esse animalium, sed tantæ tamen interdum magnitudinis inveniuntur, ut dubitare quis posset, an verè sint ex animalibus. Saxeam, ut apparet, hæc ossa induerunt naturam, ut non dubitem, succum lapidescentem istic delirescere. Difficile autem dictu, quomodo ista ossa in illam speluncam devenerint: neque enim feræ vel alia ani-

O

malia

malia istic delitescunt, quæ in illa emoriantur : nihil tale unquam observatum ab accolis, à quibus hodie creberrimè peruestigatur horum ossiculorum gratiâ, quorum pulvere ad sudores movendos, arcendos paroxismos febriles, abigendam Epilepsiam, &c. non infelici adeò successu utuntur, sed de his omnibus aliàs plura.

ANTONIO DEUSINGIO,

J. CASP. FAUSIUS, S.

Nobilissime & Excellentissime
Vir, &c.

GRatum mihi est, meas Tibi redditas fuisse; Gratius quod eas responso dignatus fueris; Gratissimum quod Te & vivere & valere, & strenuè, ut semper, agere, ex iis intellexerim. Joh. Walchii Decadem Fabularum si haberes, esset in qua Te recreares, & animum severioribus studiis defatigatum relaxares. Nec ad fabularum

bularum mentionem omnia ipsius pro fabulosis habenda. Decem selectiores Aesopi fabulas eleganti & luxurioso stylo recenset: easdem postea historice, ethice, politice, physice, &c. explanans, varia atque egregia mirè intercalando admiscens. Ibi inter rariora inventa de illis quoque, quæ Tibi nuper. Cæterum de Ossibus in Bumanni specu juxta Herciniam repertis variant opiniones. Increcere ossa secundum omnes dimensiones, (loquor de sub terra latentibus) mortuis vix competit particulis. Generari aliquo lusu naturæ (ut alibi Chirothecæ, Tesseræ lusoriæ, variæ imagines, &c.) verò haud adeò dissimile videtur. Felix Platerus, magni istius Felicis magnus quoque Nepos, credit hæc tempore diluvii Universalis in ejusmodi abdita loca fuisse recondita, & saxi limoque sepulta, quia absque dubio in illa aquarum inundatione omnia susque deque fuerunt commota & transposita.

Ego temporis omnium rerum edacis diuturnitatem, & tot. seculorum lapsum ipsi opposui, & ad experientiam provocavi, quâ edocti cernimus, ossa in sepulchretis exiguo annorum spatio corrumpi & in terram reverti. Cæterum ossa illa diaphoretica esse præter experientiam & ratio convincit, cum à spiritu terræ calcinentur, sale terræ volatili, quo spiritus turget, ibi fixato, Anselmus Boetius de Unicornu vel Ebore fossili tradit, esse non nisi ramos arborum sic calcinatos, majore vel minore vi diaphoreticâ pollentes, prout ligna (exempli gr. fraxinus) eâdem magis vel minus dotata fuerunt. Repertum tamen anno elapso apud nos in præterfluente tale Unicornu, Cornu vel Dentem Elephanti exactissimè retulit, ut nemo sanus de eo dubitare potuerit; Corticem subflavum duriorrem, Medullam friabilem sed candidissimam hubuit. &c.

ANTO-

ANTONIO DEUSINGIO,

*Nobilissime atque Excellentissime Vir,
Domine & Amice Colendissime.*

..... De vero Monocerote & hyperbolicis ipsius laudibus ipsemet dubito. Nec tamen ossibus & cornibus suæ defunt vires, præsertim calcinatis, & ex iis, quæ tractu temporis à sale volatili seu spiritu terræ (spiritus enim ubi corporefit, ut ita loquar, fit sal) calcinantur, & spiritus ipse vicissim in iis capitur, retinetur, figitur. Tale est illud cujus frustra transmitto ante annum in præterfluente, ut sæpius fit, reperto. Aquis enim littora lambentibus plerumque instar stipitis emergunt. Nostrates vocant Unicornu fossile, non est a. nisi Ebur, Dentem enim seu Cornu Elephantinum hoc integrum perfectè referebat, quod postea rudes homines lucri causâ inter se dividentes, in frustra ferratim conciderunt. Ejus usus frequens in variolis & morbillis, non

sine successu, testantibus id præter Ex-
 perientiam, plurimis iisque præstantis-
 simis Medicis. Spodii loco convenien-
 tissimè uti possumus. Ebullitionem &
 sanguinis effervescentiam compescere,
 seu, ut Chymicè loquar, præcipitare
 potest, & ut creta cerevisiam acidam,
 aut secundum Helmontium, oculi can-
 cri, &c. corrigere. Duo frustra semical-
 cinata ex eodem sunt stipite: tertium
 perfectè calcinatum pars est alterius,
 ante sexennium in eodem loco reperti.
 Apparebit adhuc quàm frequenter ra-
 ferim, in proprios & alios usus. Idem
 de Lapide Bezaar sentio. Quid tria gra-
 na efficerent in valido corpore, & ve-
 neno forti? Non omnis vis contra ve-
 nena ipsi deneganda. Peste laborans
 morili ex maculis nigris satis latis to-
 tum collum ambientibus fui ornatus.
 Sumsi per biduum mane 20. grana La-
 pidis Bezoar singulis vicibus cum syr. &
 succo citri & aqua acetosæ, & maculæ
 nescio quorsum abierunt. Abusus tol-
 lendus.

lendus. Multi enim pereunt soli huic lapidi salutem suam credentes. Quin & corpori impuro vulgus empiricorum obtrudit. Vidi sæpius puerulos in paroxysmos Epilepticos præcipitados, cum ex ventris dolore ejulantibus hic lapis ineptissimè fuisset oblatus. Est tamen obstetricum panacea. Et tamen ejusmodi Medicastris Mundus amat, tanquam ad genium & ingenium suum frabrefactos. Deus nobis meliora. Cui te tuosque animitus corditus. Salveat & Buschius noster non admodum scribax: liceat aliquid joci adspargere. Vale iterum Vir Clarissime, atque ut hæc tenus, amare perge

Virtutis tuæ admiratorem, Praconem.

Heidelb. 5. Sept.
styl. vet. 1659.

J. C. FAUSIUM,
M. D.

O 4

Dis

642

*Ad explendas Pagellas residuas,
addam sequentia,*

**DE UNICORNU
AFRICANO,**

Ex Celeberrimi Viri,

D. THOMÆ BARTHOLINI,

Histor. Rariorum Cent. 2. Hist. 61.

FRANCISCUS Marchio de Magellanes Africanus, nomine Regis sui Guinensis ad Curlandiæ Ducem Legatus, Hafniæ 1652. mense Octobri substitit, visisque rarioribus in Technicothecâ Regiâ, inprimis Unicornu boreali nuper ex Groenlandiâ advecto, undecim spithamas longo; mirabatur cornu hujus longitudinem, monuitque diversum in patriâ suâ Unicornu reperiri ex genere quadrupedum sæpe à se visum, nec de eo in Africâ dubitari. Quia verbis pondus inesse videbatur hominis non barbari sed Christiani, generi Regis ut ferebat & nepotis,

potis, de animali isto ejusque cornu diligentius inquisivi, Serenissimo Rege meo clementer jubente, hæcque ex ejus relatione comperi.

Unicornu quadrupes Africanis illius *Tirè bina* vocatur, hoc est, cornutum animal. Velocissimum animal & ferum in deserto magno *Cand* Africae oberrat, unde vivum capi facile nequit, sed sagittis figitur. Cadaver tamen in deserto reperitur, & in usum venit incolis, quod cum veterum Monocerote non multum abludivit. Ipse Magellanicus vivum viderat nunquam. Rogavi tamen ut Regis sui opera Sagittarii conferto agmine emitterentur, quo vel vivum capiatur, vel ossa, pellis, cranium & cornu ipsum nobis transmittantur.

Magnitudine & formâ equum mediocrem exprimit, capite, cruribus & pedibus pilosis, jubâ brevi vixque spithamam proluxa, cauda equina, sed non valde pilosa. Cutis universa glabra pilis brevissimis.

Color

Color in dorso cinereus, lineâ nigrâ per medium dorsi excurrente, à maxillâ verò inferiore ad abdomen candidissimus.

In fronte crinium fasciculus vîstus, ex cujus medio excrescit Cornu unicum, cui fasciculus ille pilorum semper adhæret, quanquam Cornu à fronte animalis sit separatum.

Cornu ipsum, vix tres spithamas superat; octo vel novem circiter pollices crassum in basi. In apice hujus cornu fasciculus pilorum rubrorum est appensus, pugni amplitudine, quod hætenus nulli Unicornium speciei proprium audiui vel legi.

Cornu neque in gyros contortum instar Unicornu borealis, sed exiguas eminentias habet & incisuras, quæ à fronte recta linea ad apicem producuntur. Color flavescent. Cavum circa radicem. Mas solus cornu isto solo vîstus, foemina in reliquis mari simillima sine cornu.

Africani

Africani magnum huic cornu statuunt pretium ob virtutes decantatas. Contra venena omnia illud exhibent, tam intus sumptum quàm extra. Fera antequam bibat, semper cornu aquis mergit, quæ exinde planè turbantur. Unde incolæ cornu adhibituri, apicem cum fasciculo pilorum aquis mergunt, ex quo deinde aquam salutis gratia exsugunt. Aqua fasciculo immerso ebullit, sicut id omnibus siccis usu venit, Unicornu fossili, calcinatis cornibus, & de veterum Monocerote fama fert.

Caro Monocerotis Africani non ingrati saporis, recenter cocta & comesta, lepram curat. Pili caudæ in pulverem cremati, & in vino Hispanico assumpti, dysentericis prodest.

Monocerotis hoc genus nunquam descriptum aut depictum fuit. &c.

Relationi novæ fidem plenam spondemus, quando ex condicito Unicornu ipsum ad Serenissimum Regem nostrum Marchio Magellanicus transmiserit.

F I N I S.